





18  
1788.27.  
**SVBSTITVTIO PVPILLARIS**  
VEL QVASI  
**TESTAMENTVM DVPLEX**

*P. 280.*  
DISSERTATIO

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAE SIDE

**D. GODOFREDO LVDOVICO  
WINCKLER**

DIE XI. SEPT. MDCCCLXXXVIII

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT  
AVCTOR

**IOANNES FRIDERICVS AVGVSTVS  
BRVNNEMANN**

BORNA - MISNICVS

LIPSIAE  
EX OFFICINA SAALBACHIA



SACCASTATIO PAPILLARIS

AVL. GAVSI.

LSTWAMNTVM DAPLEX

Dissertatio

DE SACCASTATIIS PAPILLARIBVS

LITURGIAE TOTIUS ORGANI VICTORIATE

PRAESIDER

D. GODOLREDO LADOMICO

MINICITER

DE SACCASTATIIS PAPILLARIBVS

H. F. G.

DE SACCASTATIIS PAPILLARIBVS

A. V. A. B.

JOANNES LIBERTEAS AVAGASTAS

BRUNNAMAN

SCOTT. MINGIAS

LIBSIAE

EX OFFICINA SVA FRANCINI

VIRO  
GENEROSSISSIMO SVMME REVERENDO  
ILLVSTRI MAGNIFICO  
ATQVE  
IVRIVM CONSVLTISSIMO  
**CAR. GODOFREDO DE WINCKLER**  
SERENISSIMO DVCI ELECTORI SAXONIAE  
A CONSILIIS PROVOCATIONVM IN SVPREMA CVRIA PROVINCIALI  
ADSESSORI PRIMARIO ECCLESIAE CATHEDRALIS MERSEB. CAPIT  
DECRETALIVM IN ACAD. LIPS. PROF. PVBL. DECEMV. ET ILLVSTR  
COLL. IVRECONS. DEC. ORD

PATRONO PIE DEVENERANDO

PATRONO LIET DE GENRE ANDO

COTI INGENIEI DIC O.

DUCIBILIA IN AGAD TIPS IZOL MIR DICWMA IN LIVAR  
AOSKSIROL RIMMAGIO DODDIDIAN GATI DULATLA WERDE GAFIT  
SCHRIJNISSEMO DIC DI FLECTORI SAXONIAE

GAR. GODOFREDO DE MINCIFER

IVANIA CONSARTISSIMO  
ILLUSTRI MAGNIUS  
ATRA  
GENEROSSISSIMO SUMME REVERENDO  
VIRO

IN EXCELSIS DILEXIT

EXCELSIS DILEXIT

EXCELSIS DILEXIT

## VIR GENEROSISSIME

ILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE

PATRONE PIE DEVENERANDE

Quo arctiori vinculo TVA, VIR GENEROSISSIME  
ac SVMME REVERENDE, in rempublicam atque  
iurisprudentiam, cuius TE sacerdotem primarium omnes  
admirantur, colunt et obseruant, merita cum summa be-  
nevolentia, indulgentia, animique excelsi magnitudine con-  
iuncta sunt et copulata: eo faciliorem existimauit consequutu-  
rum me esse audacie veniam, qua primos ingenioi mei  
fructus inclito TVO nomini consecrare haud reverer.

Quos quamuis exiguo neque dignos plane TVA amplissima  
eruditio ac iuris scientia esse haud ignorem: tamen TE  
hanc pietatis erga TE meae significationem non ex scriptiu-  
culae pretio, sed ex scribentis animo et voluntate aestimaturum  
esse confido. Quae quam ita sint, et TV, VIR GENERO-  
SISSIME et MAGNIFICE, tot tantisque meritis ac  
beneficiis me deuinixeris, ut TVO equidem patrocinio  
erectius

ANNO MDCCLXXXVII  
AD TIBI VOTUM DEDICATUM

erectus ornatusque iure TE unicum fortunarum meorum  
audierem censem et obseruen: ausus sum ponere aliquod  
publicum gratissimi erga TE animi monumentum, et specimini  
huic qualicunque a nominis TVI splendore dignitatem con-  
ciliare, a cuius confortio argumenti tenuitas arceret.  
Quemadmodum vero humanitas TVA plane singularis  
certissimam in me excitat fiduciam, fore, ut libellum academi-  
cum, obseruantiae erga TE meae testem, non plane sis asper-  
naturus, sed vultu propitio accepturus: ita sanctissime TIBI  
affirmo, me non solum omni studio elaboraturum, ut innumera  
TVI beneficia non in indignum collata esse intelligas, sed et  
perpetua vota pro TVA gentisque TVAE generosissimae  
salute pereuni, qua res publica, iurisprudentia, litterae, boni  
denique omnes nihil vobementius desiderant, esse nuncupa-  
turum.

NOMINI TVO GENEROSISSIMO ET ILLVSTRI

Lipsiae, d. viii. Sept. anno 1787. Jo. Fridericus Augustus Brunnenmann.

addictissimus eius

Ioannes Fridericus Augustus Brunnenmann.

§. I.

*Origo contentionis de simplici vel duplice testamento.*

Si qua est in Iure nostro doctrina, in qua intelligenda atque rite interpretanda tam veteres quam hodierni Itali multum laborauerunt, profecto illa substitutionum materia est, de qua iam olim inter diuersas Ictorum sectas plures controvrsiae motae hodie num adhuc a IVSTINIANO in *Corpus iuris* relatæ occurrent. Ita enim *lex 10. C. de impub. et aliis substitut.* testatur, SABINO placuisse substitutionem duobus pupillis institutis tunc demum locum habere, quando vterque impubes decesserit, cum PROCVLVS arbitraretur, substitutum, etiam si unus solum impubes moriatur, in huius locum succedere; Talem quoque virorum illorum de adeunda pupilli hereditate dissensum in *lege 20. C. de Iure delib.* IVSTINIANVS refert, quae latius persequitur, atque plura eius rei exempla assert MASCIVS in elegantissimo de sectis Sabinianorum et Proculianorum libello a).

Et his quidem discordiis eam quoque, de qua nos agimus, haud immerito adnumerandam censeo, *vtrum scilicet substitutio pupillaris simplex an vero duplex testamentum* contineat, quippe qua in re Sabiniani atque Proculiani dissensisse dicuntur, quod quemadmodum veritati consequaneum sit, proxima paragraphe demonstrabitur.

Huius

a) cap. IX. p. 209. seq.

A.

Huius autem discordiae originem ex ipsa testamenti pupillaris condendi ratione petendam esse arbitror, atque ea in re PITISCO b), idem obseruanti lubenter adstipulor. Nam notus est antiquus ille modus testamenti factionis Romanae, vt ceratis plerumque tabulis testamentum inscriberent, et in priori earum parte heredem instituerent, in altera vero substituerent.

Cum autem fieri soleret, vt saepius vitae institutorum insidiae a captatoribus hereditatum substitutis fruerentur, hisce illorum fraudibus aliqua ratione, cuius ipse adeo IUSTINIANVS in §. 3. *Instit. de pupilli. subf. ciuib. auctor suaforque est*, occurrabant, alteris scilicet tabularum partibus coniunctis atque seorsim oblinitis; vnde evenit, vt illae, quibus heres instituebatur, priores, hae autem, quae substitutionem continebant, secundae tabulae aut cum cera obductae essent, secundae cereae nominarentur, id, quod etiam in HORATIO c) legimus,

*Quid prima secundo*

*Cera vestit verbi,*

et utrumque deinde testamentum duplichum tabularum nomine veniret; quamuis autem eadem cera tam institutionem quam substitutionem, neutquam vero seiunctis tabulis comprehensam fuisse praeter SALMASIVM d) atque BRISSONIVM e) ipsa verba Horatii atque adeo Iustiniani, primam atque inferiorem testamento partem appellantis, doceant, et uberiori quoque SCHVLTINGIVS in interpretandis Caii institutionibus f) exposuerit, quippe qui

b) in Lexico Antiquitatum Tom. II. v. Tabulae. - e) Selectae Antiqu. Róm. Lib. III. c. 12. p. 110.

c) Satyr. Lib. II. Satyr. 5. v. 53.

d) de modo vñtr. p. m. 458. seq.

f) Lib. II. Tit. 4. in SCHVLTING. Iprud. Antejust. pag. III. 112.

substitutionem in extrema tabularum pagina fieri debere diserte praecepit, nihilominus, quia seorsim signari linoque obduci solebant, nata mihi videtur illa ictorum discordia, eiusque primam originem inde repetendam statuo, praesertim si id quoque considerauerim, inferiores testamenti tabulas, quae substitutionem continebant, seorsim consignatas post mortem demum pupilli instituti suisse aperiendas, atque substitutionem penitus inualidam suisse nisi prius rite confecta fuerit institutio.

## §. 2.

*Historia eiusdem.*

Vidimus itaque haud improbabilem causam, quae antiquis illis de duplice vel simplici testamento, quo substitutione pupillaris comprehenditur, dissidiis occasionem dedisse videtur, in quibus indagandis prosector non animus est in ipsam substitutionis pupillaris originem inquirere, inquit quae non solum a consilio nostro nimis aberrat, verum etiam breuius iamiam ab HEINECCIO a) et yberius a Cel. MADIHN b) et KVSTNERO ex moribus maiorum et Legg. XII. Tabb. elegantissime repetita atque satis vindicata est, verum ipsarum dissidiarum auctores, et quinam inter veteres et recentiores ictos unam vel alteram sententiam amplexi sint, age iam nunc, quantum fieri potest, contemplemur, si prius aliquam hac in re vere extitisse opinionum varietatem probauerimus, atque simul quibusdam recentiorum argumentis, qui istam

A 2

negati-

a) in Antiquit. Rom. Lib. II. Tit. XV. pag. 526. not. 3.

tribe Iuris civilis, vicissitudines substitutionis impuberum complexa. Hall. 1769.

b) GEORG. SAMVEL. MADIHN Dis-

4. §. 8 — 10. p. 16. seq.

negarunt, satisfacere conati sumus. Etenim tanta in legendis iuris interpretibus opinionum diuersitas occurrit, vt aliis, *Sabinianos* vnum testamentum in pupillari substitutione, *Proculianos* duplex affirmasse, viuum sit, *MERILLIO* deinde atque *HEINECCIO* sententia his plane contraria, *Proculianos* nempe simplex, *Sabinianos* duplex testamentum defendisse, placuerit, alii denique eiusmodi ictorum discordiam vñquam extitisse, omnino negauerint. Et inter hos quidem praeципue nominandi sunt *ANT. SCHVLTINGIVS*, *MASCOIVS*, *IACOB VOORDA c)*, et nuper viri *Celeberrimi MADHNVS* atque *RAVIVS d)*, qui de illa controuersia sibi persuadere haud potuerunt. Ille enim e) controuersium fuisse inquit, *inter Sabinianos et Proculianos*, an hoc casu vnum esset testamentum aut duplex, et prius *Sabinianis* posterius *Proculianis* placuisse, plurimis viris eruditis in mentem venit, mihi autem nondum persuadere potui, et has deinde addit rationes, quod e verbis *IAVOLENTI*, me illud maxime mouet, vnum esse testamentum, aliquam opinionum diuersitatem inter ictorum sectas extitisse, elici non possit, praescerit cum *VI.PIANVS* in *lege 2. §. 2. D. de hered. vel aet. vend.* vnum esse testamentum affirmet, neque vilam controuersiae cuiusdam mentionem faciat;

Eādem quoque sententiam *MASCOIVS f)* tuetur, quippe qui, dum hanc vtriusque sectae controuersiam a iuris interpretibus inuentam fuisse narrat, ita pergit: *verum vereor ne eos in hoc iurgio iudicii fortuna deficiant*, et iisdem, quibus *SCHVLTINGIVS ar-*

*gumen-*

e) in *Comm. ad Leg. Falcid. cap. XI.*      e) in *Iprud. Anteprt. in not. ad CAES*  
p. ... 276. 277. (Vrech. 1730.)      Insit. Lib. II. Tit. 4. not. 11. pag. III.

d) in *Exercitat. iur. ciui. ad I. 79. D.*  
ad legem *Falcidiām*, Lips. 1772. 4. §. 2.      f) de *Seclis Sabinianor. et Procu-*  
p. 9. et 10.      lianiōr. cap. 9. pag. m. 215.

gumentis sententiam probare studet. Pluribus deinde argumentis laudatus MADIHN g) nullam hac in re controversiam inter *Sabinianos* et *Proculianos* intercessisse, contendit, praesertim, Iure a crescendi, quod l. 59. D. de acquirend. vel omitt. hered. patris heredi vindicatur, innisus.

At vero si ingenuo prositeri liceat, haecce trium virorum argumenta, si accuratius pensitantur, mihi omnino satisfacere haud videntur, iisque tantum robur, tantaque vim inesse haud intelligo, vt mihi illius opinionis veritatem persuadeant; potius ea mihi sententia est, fuisse quondam inter veteres Ictos, qui simplex et alios, qui duplex testamentum in pupillari substitutione defenderint, quamuis id affirmare non ausus sim, omnes cuiusvis sectae discipulos in diuersas opiniones discessisse, neque iis adstipulari possim, qui CAIVM, VLPIANVM aliasque posteriori sententiae fuisse arbitrantur. Etsi enim notum sit, et MERRILLVS h) satis probauerit ipseque MADIHNVS i) concedat, plures occurrisse inter *Sabinianos* atque *Proculianos* opinionum diuersitates, quae doctrinam de substitutionibus tetigerunt, et ab illorum indole profecto non alienum sit, etiam huius, de qua nunc agitur, rei causa vtriusque scholae autores eorumque discipulos disensisse, nihilominus hancce sententiam propterea amplecti non possum, quod partim omnes, praeter unum vel alterum, quorum verba ad probandam SABINI atque PROCVLI discordiam laudantur, nullius sectae placita sequuntur, sed Herciscundorum nomine occurrant, partim ipsi NERATIO, PROCVLI sectatori SABINI sententia

A 3

placuisse

g) in citat. diatr. §. 21. p. 53. seq. iunctim editis Neapel 1720. pag. 4.

h) in obseru. Lib. I. cap. 3. in opp. i) l. c. §. 21. pag. 54.

placuisse dicitur. Ille vero IAVOLENI locus ex eius epistolis in Digesta translatus, magis pro nostra sententia, dissensisse nimirum quosdam Ictos circa pupillare testamentum, militare videatur, quam quod aduersus nos adduci possit.

Ipse enim MASCIVVS k) eum casum, qui in illa lege proponebitur, inter vestigia discrepantium Ictorum in iure ciuili obvia posuit, vtrum scilicet substitutus creditoribus patris insituentis teneatur. Cum igitur is, qui dicta lege IAVOLENV M de eo casu interrogat, dubius haereat, quamnam sententiam amplectatur, inter vtriusque argumenta quidem fluctuare, magis tamen ad alteram sententiam inclinare videtur, dum illo arguento se motum esse addit, quod IAVOLENI praecceptores vnum in substitutione pupillari occurrere testamentum affirmarunt: cum vero ex lege 2. §. 47. D. de orig. Iur. PRISCV M illum IAVOLENV COELII SABINI discipulum fuisse constet, profecto exinde haud improbabili ratione colligere posse OISELIVS l) aliquae sibi visi sunt extitisse aliquam inter Proculianos atque Sabinianos hac in re differentiam, praesertim cum illud aliis quoque Digestorum legibus yberius probandum duxerint; quippe non solum POMPONIVS Ictus in lege 16. D. de vulg. et pup. subſt. testamentum patris et filii diserte distinguit, et illud primum, hoc secundum appellat, verum CAIVS quoque in lege 79. D. ad leg. Falcid. dum de substitutione pupillari loquitur, duplicitum testatorum aperte mentionem facit, ex quibus apparere ipsis videtur, veritati magis accedere illorum sententiam, qui aliquid hac in re dissidii inter vtramque sectam, inter-

k) l. c. pag. 209.

D) in not. ad CAII Institut. in SCHYLV.  
TING. Iprud. Antiqu. l. c.

intercessisse, et *Sabinianos* vnum *Procilianos* duplex testamentum defendisse, statuunt: e quibus legibus tamen non de sectarum discordia, verum de eo solummodo constat, fuisse Ictos qui hanc vel illam sententiam amplesterentur, quippe *POMPONIVS* aequa ac *CATIVS* media inter utramque scholam via intercedere solebant. Ipsi vero sententiae, quana *HEINECCIVS* m) atque *MERILLIVS* n) de inuersa utriusque sectae opinione proposuere, iam dudum *MASCIVVS* occurrit, quippe qui *IAVOLENI* locum ab iis male intellexit, atque perperam consultoris verba *IAVOLENO* adscripta esse satis superque probauit.

§. 3.

*ICti veteres qui vni testamento fauerunt.*

Iam vero cum §. priori ipsam Ictorum hac in re discordiam probasse mihi videar, ea illorum verba, quae ex libris Ictorum in Digesta translata pro quauis sententia afferuntur, indagare, et quosnam ex iis unam vel alteram sententiam amplexos fuisse concludant, examinare placet. Et primus quidem in scenam prodeat *PRISCVS IAVOLENVS*, quem *Sabiniani* discipulum atque sectatorem extitisse constat. Huic haud incelebri Icto de vino solum testamento persuasum fuisse *lex 28. D. de reb. auct. iud. poss.* duplicitate indicat: Praeterquam enim quod ille, qui *IAVOLENV* de casu ibi proposito consiluit, aperte illius praecceptores unum modo testamentum, in substitutione pupillari statuisse testatur, ipse quoque in epistola ejdem missa, vnicam patris et filii, quando huic substitutus eam adierit, hereditatem haberi affirmat, ita

vt

m) in Antiquit. Rom. Lib. II. Tit. 15.

n) in Observ. Lib. III. cap. 12.

vt tam patris quam filii aes alienum separari non posse, potius heredem vtriusque creditoribus obligari Ictus contendat; ex qua ipsius responsione luculenter, credo, apparet, IAVOLENV M non nisi vnuui in substitutione pupillari testamentum statuisse, quippe patris et filii aes alienum coniungit, et vnam diserte appellat vtriusque hereditatem.

IAVOLEN V ordine excipiat NERATIVS PRISCVS, quem Procurianae sectae addictum fuisse atque Membranarum VII. libros scripsisse MASCOVIVS a) atque RACHIVS b) probant. Ex harum libro secundo extat fragmentum in lege 59. D. de acquir. vel omittend. hered. ex quo colligere possumus, hunc quoque sententiae SABINI atque IAVOLENI fauisse, dum scribit: ille, qui patri heres extiterit, si filio impuberi substitutus sit, eius hereditatem praetermittere haud potest. Nam coniungi eam paterna hereditati et accrescendi iure adquiri cuicunque patris heredi existimandum est: quodsi ergo Ictus iubet, illum qui simul cum pupillo institutus, et huic in casum mortis substitutus est, pupilli heredem necessarium esse, et vtramque hereditatem coniungi, NERATIO idem quod COELIO SABINO placuisse oportet, praeferunt cum hunc casum iuri accrescendi, quod in duabus hereditatibus obuenire nequit, aequiparare haud dubitatuerit.

At vero sicuti NERATIVS pupillarem substitutionem iuri accrescendi comparauit, ita CAIVS Ictus lites circa eam obuenientes ex iuribus codicillorum diuideandas esse statuit, quippe in lege 11. D. testam. quemadm. aperiant: sicut codicilli, inquit, pars intelliguntur

a) de Seccis veter. Idor. Lib. III. cap. 8. pag. 76. b) in Histor. Iprud. Rom. Lib. III. cap. I. §. 26.

guntur testamenti, ita secundae tabulae principalium tabularum partem obtinere videntur, atque his verbis, eorum, qui unum testamentum hac in causa contendunt, opinioni se accedere palam profitetur.

Eadem quoque sententiam aperte pluribus locis confirmat **VLPIANVS**, quamvis enim neutri Ictorum sectae addictus potius medium inter illos viam tenuisse a **MASCOVIO** probatur, nihilominus patris et filii testamentum ita coniunctum esse scribit, ut non modo in *lege 2. §. 1. D. de vulgar. et pup. subſt. substitutionem* pupillarem omnino inualidam esse, nisi patris testamento prius rite confecto, affirmet, et deinde *lege 10. §. 2. et 3. D. cod.* pupillariter substitutum patris et filii hereditatem separare posse neget, sed illa repudiata hanc quoque amitti contendat, verum etiam aliis locis *lege 20. scilicet et lego 2. §. 4. D. cod.* partim iure Praetorio id obuenire, vt patris et filii testamentum pro uno habeatur, partim ab ipso quoque Imperatore Alexandro eam sententiam litteris ad Vinium Luppum Britanniae Praesidem missis publicam autoritatem accepisse, probet, dum addit, *conſtat, unum esse testamentum licet duae ſint hereditates.* Quis quaeso est, qui lectis his atque perennis **VLPIANI** verbis, quanam sententia illi placuerit, iudicare dubitet? Profecto negari non poterit **VLPIANVM** uni testamento fauisse, si illud praeterea consideremus, quod idem Ictus in *lege 2. §. 2. ff. de hered. vel alt. vend.* duas quidem in substitutione pupillari hereditates, unum tamen exire testamentum pronunciauit.

Iam accedamus ad **PAVLVM** celeberrimum suae aetatis Ictum, et quanam huic placuerint, videamus. Et praefidum quidem ii, qui uni testamento fauent in huius fragmentis per *legem 1. D. de acquir. vel omitt. hered. et lego 1. D. quando dies legat. vel fideicommissi*

B

cedat,

cedat, seruatis, quaeſiuere, nihilominus vterque locus ad firmandam hanc opinionem inuitus atque minori iure trahi videtur. Quamuis enim PAVIVS lege priori, illum, qui totam hereditatem acquirere potest, partein ſolummodo eius, altera relictā, adire prohiberi, altera autem mortuo patre, licet viuo pupillo, diem legatorum a ſubſtituto datorum cedere, contendat, tamen illius verba praeter pupillarem ſubſtitutionem ad alia quoque, codicillos videlicet vel fideicomimissa extendi poſſe ideoque hanc ſententiam probare haud videntur, haec vero, cum diem legatorum mortuo patre ſolum cedere affirmet, ex aduersa ratione, quod eorundem dies post mortem demum pupilli veniat, innuere voluiffe iure colligere poſſumus; huius potius Icti opinionem ex alio loco, ex eius libris, quos de tabulis ſecundis conſcriptis lege 38. D. de vulg. vel pupill. ſubſtit. ſeruato, probauerim. Ibi enim CERVIDIVM quidem SCAEVOLAM aliquas circa ſubſtitutionem pupillarem difficultates obieciſſe ſcribit, addit tamen, ſed plerique in diuersa ſunt opiniones, quia pupillares tabulae pars ſunt prioris teſtamenti, quo iure utimur: e quibus verbiſ ſatis ſuperque appetet, PAVLVUM eandem ſententiam ſecutum eſſe, quam hac lege expoſuit, vnum ſcilicet aſſeueraſs testamentum.

At vero neque PAPINIANI iudicium hac in re prorsus negligendum videtur, quippe qui duobus locis idem quod viris ſupra laudatis placuit, afferit. Ita enim in lege 11. §. 5. D. ad leg. Falcid. in patris et filii impuberis teſtamento vnam ſolum Falcidiā detrahi, ideoque tanquam vnicum teſtamentum conſiderari ſcribit; quippe, ſi duo teſtamenta addeſſe ratus fit, duabus certe Falcidiis locum reliquifiet; deinde vero etiam PAPINIANVM eiusdem ſtentiae

tentiae suisse *lex 8. §. 5. de inofficio Testam.* indicat, in qua testamentum pupilli a matre tanquam inofficiosum rescindi non posse ideo probat, quia secundae tabulac a patre essent consecuae; quibus verbis patris aequo ac filii testamentum pro uno habendum esse abunde declarauit.

Ultimo tandem loco ipsius Imperatoris IVSTINIANI verba laudare liceat, qui hancce Ictorum discordiam ita composuit, ut comprobatis SABINI et reliquorum argumentis in §. 2. et 3. *Institut.* de sublit. pupill. vtrumque testamentum pro uno haberi iusserit, dum non modo in §. *tertia* institutionem heredis et filii impuberis substitutionem vnico testamento, quamvis diuersis tabularum partibus, contineri affirmat, et §. 2. vnicum in substitutione pupillari adesse testamentum, a patre sibi filioque consecutum, testetur, quamvis duae eorundem existant hereditates: a quo inde tempore factum est, vt haecce sententia publicam nachasit auctoritatem, eorum vero opinio, qui secus statuerint et quos §. sequenti paucis contemplabimur, penitus euanuerit.

#### §. 4.

*Illi veteres qui duplex testamentum probarunt.*

Inter eos, qui de dupli testamento, in pupillari substitutione obvio, sibi persuasissime dicuntur prima vice nominandus mihi erit POMPONIVS, quem alii quidem PROCVLI praeceptis adhaesisse arbitrantur, maiori tamen iure neutri sectae addictum suisse MASCOVIVS a) statuit. Etenim POMPONIVS in *lege 16. §. 1. D. ad legem Falcidiam* ita loquitur: *si suo testamento perfecto alia rursus hora*

B 2

pater

a) pag. 130.



pater filio testamentum fecerit, adhibitis legitimis testibus nihilominus id valebit et tamen patris testamentum ratum manebit; Iam vero cum notum sit, praeципuam aliquam testamentorum partem in eo positam esse, ut vna eademque hora, et vnico contextu conficiantur, hac vero, quam laudauimus lege, aliud in substitutione impuberis statuendum esse significet Ictus, exinde, eam sententiam qua duplex testamentum hac in causa defenditur ipsi arrisisse, concludunt.

At vero alio etiam loco *lege* 1. scilicet §. vn. D. de hered. vel *aet. vendit.* POMPONIVM huic sententiae fauisse ratiocinantur, quippe qua de vendenda testatoris hereditate loquitur; cum vero verba legis ita se habeant: si hereditas venierit eius qui viuit aut nullus fit, nihil esse actum quoniam in rerum natura non fit, quod venierit; ibi nulla profecto duplicitis testamenti vestigia reperire potui, ideoque illum locum hoc referendum esse haud statuo.

HOTTO MANNVS b) quidem CAIO quoque eam sententiam assingere voluit, dum *lege* 19. D. ad leg. *Falcidiam* in huius quarta in substitutione pupillari detrahenda de duplicitibus testamentis loquitur; ipsi tamen hac in re adstipulari neutiquam possum; quamquam enim duplicitum testamentorum mentionem faciat Ictus, eadem tamen lege aperte eorum partes sequitur, qui vnum modo testamentum statuerunt, quippe non solum ea, quae antea duplia testamenta vocauerat, paulo post priores atque secundas testamenti tabulas appellat, verum etiam vtriusque legata a substituto tanquam a suo herede praestanda esse affirmat, et praeterea *lege*.

b) in Comment. ad Institut. Lib. II.

lege pen. D. testam. quemadmodum aper. pupillare testamentum pro uno solum habendum esse aperte significat.

Paulo facilius quis induci poterit, ut VLPIANVM a partibus eorum, de quorum opinione hac scilicet agimus, stetisse credat, si legem 8. D. testam. quemadmodum aperiant. iuncta lege 1. §. 1. ff. si cui plus quam etc. et legе 2. §. 1. D. de hered. vel act. vend. perlegerit. In illa enim, conuenit iam, inquit, legem Falcidiam semel esse admittendam etiam si duplex sit testamentum, et altera legе pupillares tabulas, prioribus aperitis nisi causa cognita, resigquare prohibet, in ultima vero testatoris hereditate vendita, pupilli bona venditionis contractu haud comprehendit, ex quibus locis forte colligere quis possit, tum, quum duplex tabularum aertura, et duplex hereditatum venditio adsit duplex quoque testamentum existere debere, ideoque VLPIANVS idem statuisse videatur, nisi partim ex iis legibus, quae iam scilicet anteriori laudatae sunt et ex legе 10. §. 2. D. de vulgar. et pupill. substitutione contrarium appareat, partim testamentum hoc loco, vti saepius teste BRISONIO c) occurrit, pro hereditate per testamentum patris delata accipiendo sit.

Sed maiori quodammodo iure hic referri poterit SALVIUS IULIANVS Ictus, de cuius iudicio lex 11. §. 1. et lex 27. §. 4. D. ad Sicutum Trebellian. nos certiores faciunt. In priori enim VLPIANVS narrat, illum ita respondisse, vt, si duo instituti cum impubere, eique simul substituti, tertio hereditatem restituere rogentur, unus ex iis viuo adhuc pupillo eam adire cogatur, quippe ea ratione patris testamentum confirmaretur: quibus verbis IULIANVS

B 3

duplici-

c) de Verbor. signif. voc. testam.

duplicem vtriusque hereditatis aditionem ex duplice testamento innuere videtur. Altera autem lege duplicem patris et filii hereditatem vocat, et posterius testamentum prioris aditione ratum fieri affirmat, et inde illum duplacen aditionem et duplex testamentum approbasse vulgo arbitrantur.

Vltimo denique loco PAPINIANVS nominandus est, quem eandem sententiam secutum esse ex lege 12. §. vn. D. de vulg. et pupil. subdit. elicere student; videtur enim is Ideo animus fuisse, vt heredi a patre scripto et simul impuberi fratri substituto vtriusque hereditatis separationem permittat; dum ait, si filius, qui pairi et deinde fratri ex secundis tabulis heres extitit, hereditatem patris recuset, et fratri adire velit, audiri debet. — Itaque legata duntaxat ex secundis tabulis praefarsi debent, habita ratione facultatum non patris sed vt alias solet impuberis: Ex quo loco ex PAPINIANI libro III. quaestzionum Iuris petito, prono velut alueo fluere contendunt, hunc quoque de duplice testamento in substitutione impuberum obuio, cogitasse.

### §. 5.

#### *Illi recentiores unius testamenti Fautores.*

Cum iam perspexerimus, inter veteres Iurisperitos litem de duplice testamento impuberis motam fuisse, in qua SABINI auctoritas praeualuit, profecto nemini mirum videbitur, multos recentiorum quoque Ictorum imo plurimos extitisse, qui IAVOLENTI praecepta sequentur, pauciores autem qui in alteram sententiam abirent; quorum praecipios nunc, quantum fieri potest, contemplemur.

Et

Et inter illos quidem primum locum teneant ALEANDER atque SCHVLTINGIUS, quorum vterque in Comimentario ad CAII Institutiones scripto id, quod sibi ea de re videatur, diligenter exposuit a). Dum enim ille narrat controvsersum fuisse inter Sabinianos et Proculianos num vnum aut duplex sit testamentum, et aliis deinde visum esse ait, confundi tabulas et institutiones non deberi, ita opinionem suam proponit; at vnum est testamentum sed duarum causarum, id est hereditatum, et hanc addit rationem, nam sufficit patris tabulas esse signatus et si resignatae sint filii, et septem signa patris sufficiunt.

Iisdem quoque argumentis adductus SCHVLTINGIUS huic sententiae subscriptibit, dum omnino aliquam seclarum controvferiam negat, potius nunquam non substitutionem impuberis proximo testamento habitam fuisse, idemque sibi persuasum esse, profitetur.

Neque ANTONIUS ALTESERRA b) dubitare videtur, quin IAVOLENI eiusque asseclarum vestigia premat; licet enim ipse quamnam sententiam amplectatur directis verbis haud exponat, nihilominus eam ipsi opinionem fuisse, quod vnum testamentum recipiat, exinde colligere licet, quod illa solummodo quae proximo testamento militant, argumenta in medium proferat, contrarii penitus neglectis atque omissis, quod profecto factum non sit, nisi easdem rationes probauerit, iisque assensum praebuerit.

His

a) in SCHVLTINGII Iprud. Anteiusf. pag. III. not. II.  
b) Ant. Dadin, ALTESERRA in Com. mentar. ad Institut. Lib. II. Tit. XVI. pag. m. 219.

His quoque argumentis, <sup>c)</sup> HOTTOMANVM <sup>d)</sup> idem cum ALTESERRA sensisse ratiocinari possumus: Etenim ne hic quidem expressis verbis, quaenam ipse arrideat opinio, significat, verum in suspensi nos relinquere, nisi paucula modo verba veram eius sententiam prodere videantur. Quum enim *Proculianorum* atque *Sabinianorum* sectam hac in materia discrepasse contendat, vtriusque argumenta, quae ad confirmandam sententiam facere possunt singulatim exponit, iisque narratis *Sabinianorum* *disputationem* fortiorē *suisse* addit, quae verba non modo ad illam, quae in iure praeualuit, opinionem verum ad ipsius HOTTOMANI sententiam protrahenda mihi videntur, quippe procul dubio fortioris sententiae argumentis contradixerit, nisi eandem probare maluisset;

Paulo clarius, quae ipsi placuerint VINNIUS <sup>d)</sup> indicauit, qui in explicanda §. 2. *Instit. de subdit. pupill.* vnum testamentum adesse affirmat, et Imperatoris verba non ita accipienda esse tradit, quasi in pupillari substitutione duo sint testamenta, sed hunc eorum sensum esse, ut simul comprehendatur ipsius impuberis institutio, et ita non reuera, sed quodammodo dici possit, duo hic occurrere testamenta: e quibus verbis, ni fallor, luculentius VINNII opinio apparebit, quam quod verbum aliquod addi mereatur.

Praeterea etiam LUDOV. GÜNTH. MARTINI erit laudandus, qui in singulari, quem de substitutione pupillari conscripsit libel-  
lo

<sup>c)</sup> FR. HOTTOMANI Comment. ad <sup>d)</sup> in Comment. ad *Instit.* ex edit.  
*Instit.* Lib. II. Tit. XVI. p. 197. HEINECC. p. 366.

lo e) narratis prius substitutionum origine, satis atque discri-  
minibus, ita deinde pergit: *revera vnicum ibi est testamentum tum  
respectu causae efficientis, quia unus et idem pater testatur et substitutus, tum  
ratione formae, quia una et eadem in testamento et in substitutione sufficit  
solemnitas, et inde se eorum vestigia premere quae IAVOLENI  
auctoritatem sequuntur, patet.*

At vero etiam recentissima getate non desuerunt viri docti  
iisque haud exigui nominis I<sup>c</sup>hi, qui vnum modo hac in que-  
stione occurrere testamentum existimauerunt; Praeterquam enim  
quod Iosephus Averanivs f) huic sententiae subscrabit, illud  
omnino verum esse negat, duplex esse testamentum, alterum patris  
alterum filii, et licet idem duas adesse hereditates obiiciat patris nem-  
pe et filii, de quibus pater disponit in testamento, quarum respectu  
aliquando duplex dicitur, tamen vere vnicum esse testamentum  
affirmat, neque pupillarem substitutionem a patris testamento  
distinctam, sed huius partem habendam esse declarat. Hunc  
secutus Madinivs g) non modo duplificem hereditatem, quam  
omnes sere admittunt, verum etiam duplex testamentum omnino  
aspernatur; quippe, bona patris et pupilli in actu testandi, tan-  
quam vnam hereditatem considerari adeoque vnum tantum esse  
testamentum affirmat, et post aditam hereditatem demum cie-  
nire posse arbitratur, ut hereditas duplex appareat, exinde vero  
consequentiā nec tendam esse negat, impuberum substitutionem  
duplex esse testamentum.

Vltimo

e) qui prodiit Wernigerod. 1715. humo Lugd. Batav. 1749. 8. T. II. l. V.  
fol. Cap. I. §. 13. pag. 5. cap. VII. p. 66.

f) in Interpretat. Juris opere post- g) in laud. Diff. §. 21. p. 53.

C

Vltimo denique loco celeberrimum RAVIVM commemorare  
liceat, qui h) nuper eandem sententiam defendere haud dubitauit;  
etenim constans, inquit, iuris ratio postulat, substitutionem pu-  
pillarem vnum esse testamentum, nam vnum habet autorem et  
vnam solemnitatem: quibus verbis satis superque declarat huius  
opinionis argumenta ipsi haud displicuisse.

## §. 6.

*Icti recentiores quibus duplex testamentum visum est.*

Quo frequentius autem in recentiorum Ictorum scriptis  
simplex testamentum defendi vidimus, eo pauciores extiterunt,  
qui duplex ibidem adesse existimarunt; etenim nonnisi tres praecipui  
huius sententiae Fautores mihi occurrebant, OISELIVS ni-  
mirum, WESENBECCIVS, atque BRENMANNVS, cum reliqui omnes  
partim priorem opinionem sententia, partim inter formam atque  
materiam hereditatum distinguant. Ille enim, quem primo loco  
nominauit in notis ad CAII Institutiones scriptis a) duo, inquit,  
hic videntur esse testamenta, alterum patris, alterum filii, quia  
vtriusque mors expectatur et duae aditiones sunt necessariae;  
quam ipsius opinionem iisdem argumentis iisdemque rationibus  
firmare studet, quae iam ab HOTTONANNO atque VINNIO in me-  
dium proleta sunt, ita vt duplex testamentum ipsi in substitutione  
pupillari obuenire visum esse, certissimum fit.

WESEN-

h) loc. cit. §. 2. a) vide SCHVLTING. Ipdia. Anteist. p. 109.

WESENBECCIVM b) vero etiam acerrimum istius opinionis defensorem fuisse exploratissimum habeo, et ipsa eius verba me edocent. Etenim hic non modo duos casus et duplarem hereditatem, aditam scilicet et non aditam distinguit, sed etiam duplex testamentum inde concludit. En ipsa eius verba, e quibus id luculentius apparebit: *Pupillaris substitutio inquit, cum duos casus complectatur et non aditae hereditatis et aditae, merito duplex appellatur.*

Neque parum auctoritatis huic sententiae ex BRENKMANNI iudicio accedere videtur, qui c) disertis verbis illam tueri atque inde vindicare studuit, quod substitutus, soli filio non patri succedat, quique filio tantummodo substitutus sit, neque ea substitutio ad patriam hereditatem porrigatur; et his rationibus commotus duplex esse testamentum concludit, patremque et sibi et filio separatim testatum intelligi contendit.

## §. 7.

*Nostra sententia proponitur.*

Iam vero si quereritis, dupli illa sententia de pupillari testamento exposita, praecipuisque Ichorum veterum et recentiorum, qui alterutram sequebantur, laudatis, cuinam nosmet ipsi adhaereamus, neutram earum omnino nobis placere posse, palam profitemur. Quamquam enim illa opinio, quae duplex testamentum defendit, satis idoneis rationibus non firmetur, illis

C 2

tamen,

b) in Paratitlis ad Pand. Lib. XXVIII. Tit. VI. p. 333.

c) in Comment. ad Herennii Modestini librum singul. περι εὐγενικῶν. L. B. 1771. 8. cap. 7. pag. 126.

tamen, quae pro uno testamento militant, argumentis, tantum pondus inesse non videtur, quantura opus est, ut de illa omnino conuincamur. Quare media inter utriusque sectatores via incedere et eorum vestigia premere constitutus, qui circa formam substitutionis pupillaris externam unum testamentum, circa materiam vero duplex adesse rati sunt, ita ut una quidem in eo condendo solennitas requiratur, duplex autem exinde effectus nascatur. Et haecce quidem sententia non modo pluribus iisque haud contemnendis rationibus imo legibus quibusdam niti videtur, sed haud paucis quoque viris eruditiois laude eximiis adeo placuit, ut eidem assensum denegare non possumus. Illam enim sequetus est HOPPIVS a) qui de sententia ita opponit: *Vnum est testamentum tam ratione causae efficientis quam formae, videntur tamen esse duo testamentorum ratione materiae et finis, quo quidem loco inter formam atque materiam distinguit, atque sententiam supra expositam amplectitur.* Deinde vero etiam huic sententiae subscrabit BRVNNEMANVS b) qui illud testamentum in quo filio pupillo substitutus datus est, et filii testamentum pro uno habendum esse scribit, si uno contextu fiat, *quoad materiam autem duo adesse contendit, quoniam duas sint hereditates.* Et his quidem rationibus KEESVS c) quoque adductus videtur, quod distinguendum censeat, num consideretur testamentum *quoad causam efficientem, materiam et effectum* quo casu duplex arbitratur, vel *quoad formam et solemnitates quo casu IAVOLENI sententiae adhaeret.*

HOS

a) Comment. ad Institut. Lib. II. Tit. XVI. pag. 417. §. 2. not. 1.

c) IOH. GEORG. KEEES Comment. ad Institut. Imper. Lib. IV. Wien 1744. 4.

b) Comment. ad Pand. Lib. XXVIII. Tit. VI. pag. 200.

L

Hos; in enarrandis opinionis nostrae auctoribus excipient  
 IANVS A COSTA atque VOORDA quorum vterquè eandem in expli-  
 candis Institutionibus atque lègē Falcidia sententiam comprobaue-  
 runt. Ille d) enim, unum, inquit, ad eū testamentum si testator et testa-  
 menti solemnitas spectatur, si autem patris et pupilli hereditas spectatur, duo  
 sunt testamenta, hic d) vero constat, ait, testamentum pupillare modo  
 tanquam unum modo tanquam duo considerari, quid luculentius  
 atque manifestius esse potest, quam quod illam, de qua loqui-  
 mur, opinionem comprobauerint, et alii quoque persuaserint,  
 id quod etiam HEINECCIVS atque nuperime III. HOEPFNERVS f) fecit,  
 vterque enim simplex testamentum ratione formae seu solemnitatum,  
 et duplex ratione paternae et hereditis institutionis occurre flatuit atque  
 rationibus haud contemnendis comprobauit. Ecquid ergo nos  
 impedit, quo minus eidem sententiae subscribamus, et tantorum  
 virorum argumentis assentiamur? Profecto nobis persuademus,  
 fore, vt plures hanc opinionem sectentur, si eas, quas §. sequenti  
 laudabimus, rationes legerint atque diligenter considerauerint.

## §. 8.

*Rationes nostrae sententiae.*

Et ratione quidem formae externae substitutionem pupilla-  
 rem tanquam unicum testamentum considerandam exinde aperte  
 discimus, quod ad heredem tam sibi quam filio scribendum

C 3

easdem

d) Comment. ad Institut. ex edit. e) in Comment. ad leg. Falcidiā  
 VAN DE WATER Lugd. Bat. 1744. 4 pag. 277.  
 pag. 271. §. 3. f) in Comment. ad Institut. Lib. II.  
 Tit. 16. p. 508.

easdem modo solennitates testator adhibere solet, quae in quois  
alio testamento requiruntur. Ita enim praeter plures rationes  
ab HOTTO MANNO a) satis expositas id vnum afferre liceat, VLPIAN-  
VM in lege 20. D. de vulg. et pupill. substit. expresse praecipere,  
septem modo testium praesentiam, totidemque signacula sufficere,  
quamvis duplex heredis institutio occurrat. Plures vero etiam  
caeque haud parui ponderis extant rationes, quae ad opinionem  
§. priori propositam nos adduxerunt, inter quas, praeter ipsam  
IVSTINIANI Imperatoris auctoritatem, qui in §. 2. Instit. de pupill.  
subst. hanc quodammodo tanquam duplex testamentum considerari posse affirmat, haec mihi praecipue contemplanda videtur,  
quod in testamento pupillari duae hereditates occurrunt, altera  
testatoris ab impubere instituto capienda, altera impuberis a sub-  
stituto adeunda: ex quo colligere possumus, quum duae ad sint  
hereditates et duplex earundem aditio, duplex quoque circa eas  
existere debere testamentum. Duas autem re vera occurrere he-  
reditates non solum in §. 2. Instit. d. t. Imperator ipse iudicat,  
verum etiam in lege 27. §. 4. D. ad SCium Trebell. IVLIANVS et in  
lege 10. adeo D. de vulgar. substitut. VLPIANVS aperte dicit, dum  
ille de herede a patre scripto et simul exheredato filio substituto  
eodemque fiduciario loquitur, et vtriusque hereditatem distinguit,  
hic autem substitutum filii ex ase heredis scripti vel nullam vel  
vtramque patris scilicet et impuberis hereditatem adire cogit, ne-  
que vtriusque separationem concedit, potius hanc rationem ad-  
dit,

<sup>a)</sup> HOTTO MANNV in Comment. ad diligenter conquisiuit. Lib. II. Tit. XVI.  
Instit. omnia, quae hanc vel illam sen- pag. 197.  
tentiam aliqua ratione firmare videntur

dit, quod vtraque iuncta coeperit esse, id quod PAPILLONIVS b) hoc modo recte interpretatur, quod paterna hereditas filio per immixtionem acquisita et bonis eius confusa sit et ita vtraque in vnam coaluerit. In vulgari enim substitutione succeditur testatori non illi cui substitutio facta est, quod ex princ. I. de vulg. substitut. appetat, quippe quae solum in casum non aditae hereditatis suscipitur; inuersa autem ratione, pupillariter substitutus impuberi non vero testatori succedit. Neque obstat poterit quod bona filii exesse heredis scripti eadem quae patris esse videantur, cum notum sit substitutum etiam in bona filii aliunde acquisita succedere sole-re: ideoque patrem exheredato etiam filio substituere posse.

Deinde vero etiam id nos mouet, vt sententiam laudatam sequamur, quod sicut duae hereditates ita etiam duplex heredis institutio occurrit; Primum enim filius impubes a patre heres instituitur, et huic deinde in secundis tabulis heredem substitui videmus; qua in re DE GAST c) quoque nobis assentitur, vnde prosectorum opinio qui tam ratione formae quam respectu materiae unicum testamentum statuunt, euancescit, quippe in unico testamento duo instituti, qui hereditatem adeant, existere ne-queunt; aliud enim est in substitutione vulgari, qua ei, qui ab hereditate omnino abstinet, alias substituitur. Et vtroque casu simillima videtur substitutione pupillaris testamento coniugum reciproco, quippe ad quod conficiendum unica septem testium fo-

lennitas

b) de directis heredum substitutioni. c) in Comment. ad Tit. Cod. de im-  
bus, Part. II. de substitutione pupillari puberum et aliis substitutionibus, in  
cap. X. in Thesaur. OTTONIS Tom. IV. Thesaur. MEERMANN. Tom. VI. pag.  
pag. 751.

lennitas requiritur, cum tamen duea hereditates et duplex heredis institutio ipsi inesse intelligatur et inde quoque vnum respectu formae externae et duplex intuitu internae appelletur d).

Ex hisce duobus argumentis tertiam rationem pro nostra sententia subducere possumus, duas scilicet duarum hereditatum necessarias esse acquisitiones, vnde evenit, vt per impuberem patris heredem suum pupillariter substituto hereditas acquiratur. Distinguendum enim est inter eum casum, vtrum impubes paternae hereditati se immisceat vel, dum ipso iure heres suus sit, illa abstineat, quippe ad confirmandas tabulas pupillares non opus esse videtur, vt impubes actu sese paternae hereditati immisceat, verum id modo requiritur, vt paterno testamento sit institutus: Etenim abstinere licuisse a paterna hereditate *IVLIANVS* praeter legem 27. *D. ad Sd. Trebell.* in lege 41. *D. de acquirend. vel omittend. hered.* probat, qua filium institutum et simul fratri exhereditato substitutum, a patris hereditate abstinere, fratri autem exhereditati bona adeundo capere permittit: idem praeterea ex lege 28. *D. de rebus auct. iud. possid.* discimus, vbi pupillus abstinuisse a paterna hereditate narratur, quamuis in tabulis pupillaribus substitutione oneratus fuerit. Et nobis quidem aduersari videtur, substitutionem pupillarem hereditatis partem atque sequelam vocari, et illam deinde regulam nobis opponi posse, quod quando principialis causa non constat, nec ea quae sequuntur, locum habent: (*lex 178. D. de regul. iur.*) idemque in substitutione pupillari quoque locum habere doceat *VLPIANVS* dum in lege 10. et 2. §. 1. *D. de vulg. subst.* ait, nisi patris adita hereditas sit, pupillare testa-

d) cf. b. c. f. HOMMEL. Rhaps. Tom. I. Obs. 166. pag. 243. edit. nou.

*testamentum euaneat; at vero cum ex eiusdem VLPIANI lego 42. f.  
de acquir. hered. contrarium appareat, ibique innuere haud videatur  
euaneat substitutionem, euidem hanc aditionem ita intelli-  
gendarum mihi persuadeo, quod pro acquisitione hereditatis, quae  
impuberi tanquam heredi suo competit minus recte aditionis  
verbo vsus sit Iesus; idque exinde etiam concludimus, quod  
quando duo extranei simul cum impubere heredes scripti et huic  
simul substituti hereditatem restituere rogati sint, ipsi vero eandem  
adire nolquerint, alter ex iis ab herede fideicommissario ad aditio-  
nem hereditatis adigi potest, vt inde non solum pupillares tabu-  
lae firmentur verum fideicommissaria quoque dispositio seruetur;  
Cum igitur his profecto rationibus probatum mihi videatur, sub-  
stitutionem pupillarem repudiata hereditate non corrucere, pro-  
fecto haud inepte ratiocinari licet, duplex quoad eius materiam  
et effectum existere testamentum, eui id quoque accedit, quod  
mota querela inofficioi non concidat substitutio, cum hoc casu  
suum aliquis heres, et adita patris hereditas existat.*

At vero haud parum subsidii nostrae sententiae inde etiam  
accedit, quod in bonorum possessione contra tabulas petita, sub-  
stitutione pupillaris et omnia legata a substituto praestanda sustinen-  
tur, quamvis prioris heredis institutio irrita fiat, quod expressis  
verbis AFRICANVS in lego 34. D. de vulgar. substit. SCAEVOLA in lego  
106. D. de legat. 3. et VLPIANVS in lego 5. D. de legat. praef. indi-  
carunt; Ille enim etiam*s* inquit, contra patris tabulas bonorum pos-  
sesso petita sit, substitutione tamen valet et omnia legata praestanda sunt,  
hic autem aliquod discrimen ponit, vtrum bonorum possessione  
petita legata ab impubere vel a substituto reliqua sint, et illo qui-

D

dem

dem casu solis liberis et parentibus, hoc autem extraneis etiam praestanda esse affirmat; Quicquid sit, nihilominus constans inde emanabit regula, duplex obuenire testamentum, quorum prius euaneat bonorum possessione contra tabulas petita, posterius sustinetur, ut etiam ab AVERANIO e) et IOS. FERNANDEZ DE RETES f) iudicatum atque pronunciatum est. Et fuere quidem plures, qui aliam differentiam in seruanda substitutione statuerunt, utrum scilicet ante petitam possessionem hereditas adita sit, nec ne, ita ut illo casu non infringi testamentum pupillare, hoc autem cessare contendant, iubentius tamen hac in re FERNANDEZ DE RETES adstipulor, qui utraque ratione substitutionem pupillarem seruari ideo arbitratur, et *lege* 3. §. vii. et *lege* 4. D. de *legat. praef.* probare studet, quod idem sit hereditatem adire, vel metu bonorum possessionis repudiare, quae autem tota disputatio omnino superflua erit, si verum est, quod paulo ante probare studuimus, sufficere, quod impubes tanquam heres suus a patre sit institutus, etiam si non immiscuerit se hereditati paternae. Circa legata autem a substituto praestanda illud monendum erit, ea quidem petita bonorum possessione tanquam ab impubere data praestari, illum autem qui exheredato substitutus est, cum huic legata relinquere non licet, iisdem non obligari, nisi aut exheredatus fratri impuberi substitutus sit, aut si pater heredem sibi scriptum simili exheredato substituerit g).

Nihilomi-

*ne contra tabulas cap. VII. in Thes.*  
e) in Interpretatt. iuris Lib. I. cap.  
VII. §. 10. p. 67. (Lugd. Bat. 1739. 8.)  
f) aduersaria, de bonorum possessio-

*ne* contra tabulas cap. VII. in Thes.  
MEERMANN. Tom. VI. p. 506.

g) PAPILLONIVS l. c. cap. 7. pag. 743.

Nihilominus vtrumque eueniat, legata scilicet aut praesten-  
tur tanquam a pupillo data nec ne, duplex adesse testamentum  
apparet, quia priori casu tum legata quae a patre tum ea quae  
pupilli nomine relinquuntur, a substituto praeflari debent, posse-  
riori autem testamentum pupillare sustinetur, quamuis legata  
euanscant.

Neque hic omittendum arbitror, ea quoque ratione fieri  
posse ut duplex testamentum existat, quia substitutum creditorori-  
bus paternis haud obligari defenditur. Videntur quidem IAVOLE-  
NVS atque VLPIANVS sibi aperte contradicere, dum ille in *lege*  
28. *D. de reb. aust. iud. possid.* affirmat, hic autem in *lege* 42. *f. de*  
*acquirend. vel omittend. hered.* substitutum creditoribus paternis teneri  
negat, eam tamen item iam composuisse videtur DE GAST h),  
qui vtrumque de diuersis casibus, et illum quidem de hereditate  
iam adita hunc autem de eadem ante immixtionem repudiata  
respondisse arbitratur. Etenim si iam adierat impubes heredita-  
tem, vna patris et impuberis facta erat hereditas et omnino sub-  
stitutum aere alieno patris teneri iure respondit IAVOLENVS quodsi  
autem ante immixtionem abstinuisset, valebat quidem substitutio,  
neutquam vero paternis creditoribus actionem in substitutum  
concedi VLPIANVS affirmat, quoniam is in filii iura non in patris  
hereditatem succedere videatur.

Denique nostram sententiam PAVLVS atque TERENTIVS CLE-  
MENS ille in *lege* 11. hic in *lege* 6. *D. de vulgar. subst.* firmare viden-  
tur; saepius enim sit, ut substitutus, qui ex testamento patris  
omnem

h) l. c. pag. 754 b.

vniuersae hereditatis acquirendae incapax est, morte substituti solidum capere possit; aiunt enim, si is, qui ex bonis testatoris solidum capere non posset, substitutus sit ab eo impuberi filio; solidum ex ea causa capiet, quasi a pupillo capiet, quod profecto fieri non potuisset nisi de diuersa hereditate duplici testamento testator disposuisset.

Et his quidem rationibus tantum ponderis inesse videtur, ut cohibere non possimus, quin ad sententiam priori §. propositam accedamus, praesertim cum reliqua argumenta leuiora sint, quam quod, pro vnico solum habendum esse testamentum pupillare, nobis persuadeant; nihil enim nos mouet, quod mater a legitima filii impuberis portione excluditur, et ita vnicum forte patris testamentum videri possit, cum notum sit patrem tam suo quam filii nomine condere testamentum, ideoque pietatis officio haud adversari pupillum in testamento quod ipse non fecit, matrem praeterire. Neque illud in contrarium adduci poterit, quod in testamento pupillari vni Falcidiae locus relinquatur, quae in duplice hereditate bis detraheretur, modo illud contemplati simus, tum demum legatorum praestandorum ideoque Falcidiae detrahendae locum esse, quando acquisita a pupillo hereditate paterna, substitutus impuberi succedit, ideoque vtraque hereditas in vnam coaluerit.

#### §. 9.

##### *Applicatio ad substitutionem exemplarem.*

Iam vero nihil restat, quam ut pauca etiam de substitutione quasi pupillari vel exemplari a IVSTINIANO in ordinem redacta moneamus, et hanc quoque ratione formae pro simplici et respectu

spectu materiae pro dupli testamento considerandam probemus *a*); Et quidni eadem argumenta, quae pro dupli testamento in substitutione pupillari obuio militant, etiam ad substitutionem exemplarēm accomodemus, cum in multis rebus vtraque conueniat et saepius iidem inde effectus oriuntur, quamvis etiam ex altera parte negari non possit, vtramque in multis aliis rebus discrepare. Et primo quidem in exemplari substitutione duplex obuenit hereditas, altera testatoris, altera filii mente capti, et eadem quae in pupillari sufficit hereditatis acquisitio ipso iure facta, neque eius immixtio ad confirmandam substitutionem requiritur, vti egregie monuit V. C. MADIHN *b*) et ipsa adeo substitutionis exemplaris notione probauit. Eadem ratione quoque quasi pupillariter substitutus succedit solum furioso non vero substituenti, prout pupillariter substitutus pupillo non testatori succedit; ex quo iterum colligere licet eam tanquam duplex testamentum esse considerandam. Magna praeterea inter vtramque substitutionem similitudo eo intercedit, quod substitutus non solum illa mente capti bona acquirit, quae a patre relicta sunt, verum eadem ratione in illa succedit, quae vel a matre vel a cognatis accepit, et ea etiam, quae aliunde consequutus est, vnde manifesto appetat, duplia obuenire hereditaria bona, et duplex ergo etiam, quo de iis disponitur, testamentum.

Praeter haec, quae iam diximus, eadem quoque regula circa quartam Falcidiam atque Pegasiānam obtinet, quam in substitutione

*a)* hac de re egregie meruit V. C. veram indolem continent Halaе, 1775.  
LVD. GOD. MADIHN in Opus. vicissitudines substitutionis exemplaris eiusque 4.

*b)* §. 32. pag. 72.

tione pupillari posuimus, scilicet tum demum a substituto praeflari quando vtiusque tam testatoris quam mente capti mors intercessit, et vtraque hereditas a mente capto acquisita et a substituto adita est, ita, vt duae hereditatum acquisitiones, ex duplo testamento requirantur; qua in re ne illud quidem obstat, quod vna solum Falcidia atque Trebellianica ab vtraque hereditate detrahitur, quippe per acquisitionem a mente capto factam, bona ipsius cum paternis coniuncta sunt, ita, vt nihilominus constans semper euadat, quam postulamus, regula, etiam hoc casu vnum quoad formam duplex quoad effectum existere testamentum.

Et hac quidem fuere rationes tam circa substitutionem pupillarem quam exemplarem, quibus satis mihi videor eorum opinioribus occurrisse, qui vel vnum vel etiam duplex testamentum, tum circa formam tum materiam et effectus contendunt. Quanquam enim negari nequeat, illos aliquam verisimilitudinis speciem prae se ferre et c. MADHNKI adeo auctoritate niti, qui vnum modo testamentum affirmant, nihilominus grauiora mihi videntur ea, quae supra exposui ad meam opinionem probandum, argumenta, quae si pluribus eandem persuadeant, haud inutilem laborem suscepisse mihi videbor.






**ULB Halle**  
005 482 992

3



1078





### Farbkarte #13

Blue      Cyan      Green      Yellow      Red      Magenta      White      3/Color      Black

B.I.G.



SVBSTITVT  
ARIS

TESTAMEN  
X

D I

ILLVSTRIS ICTOR  
TATE

P

D. GODOF  
VICO

W

DIE XI. S

AD DISC

IOANNES FR  
VSTVS

BR

B

EX OFF